



1783

Alia Oratio S. Bonaventuræ:

**T**ransfige, dulcissime Domine Jesu, medullas & viscera animæ meæ suavissimo ac saluber-  
rimo amoris tui vulnere; vera, se-  
renaque & Apostolica sanctissima  
charitate, ut langueat & liquefiat  
anima mea solo semper amore &  
desiderio tui, te concupiscat, &  
deficiat in atria tua, cupiat dissol-  
vi, & esse tecum. Da, ut anima  
mea te esuriat, panem Angelorum,  
refectionem animarum sanctarum,  
panem nostrum quotidianum, su-  
persubstantialem, habentem om-  
nem dulcedinem & saporem, &  
omne delectamentum suavitatis:  
te, in quem desiderant Angeli  
prospicere, semper esuriat & co-  
medat cor meum, & dulcedine  
saporis tui repleantur viscera ani-  
mæ meæ: te semper sitiatur fon-  
tem vitæ, fontem sapientiæ &  
scientiæ, fontem æterni luminis,  
torrentem voluptatis, ubertatem  
domus Dei: te semper ambiat, te  
quærat, te inveniat, ad te tendat,  
ad te perveniat, te meditetur, te  
loquatur, & omnia operetur in  
laudem & gloriam nominis tui,  
cum humilitate & discretione,  
cum dilectione & delectatione,  
cum facilitate & affectu, cum per-  
severantia usque in finem: & tu  
sis solus semper spes mea, tota fi-  
ducia mea, divitiæ meæ, delecta-  
tio mea, jucunditas mea, gaudium  
meum, quies & tranquillitas mea,  
pax mea, suavitas mea, odor meus,  
dulcedo mea, cibus meus, refectio  
mea, refugium meum, auxilium

meum, sapientia mea, portio mea,  
possessio mea, thesaurus meus, in  
quo fixa & firma & immobiliter  
semper sit radicata mens mea, &  
cor meum. Amen.

Rythmus S. Thomæ ad sacram  
Eucharistiam.

**A**Doro te devotè, latens Dei-  
tas,  
Quæ sub his figuris verè latitas,  
Tibi se cor meum totum subjicit:  
Quia te contemplans, totum deficit.  
Visus, tactus, gustus in te fallitur,  
Sed auditu solo tutò creditur.  
Credo quidquid dixit Dei Filius,  
Nil hoc verbo veritatis verius.  
In cruce latebat sola Deitas,  
At hîc latet simul & humanitas.  
Ambo tamen credens atque con-  
fitens,  
Peto quod petivit latro pœnitens,  
Plagas, sicut Thomas, non intueor,  
Deum tamen meum te confiteor.  
Fac me tibi semper magis credere,  
In te spem habere, te diligere.  
O memoriale mortis Domini,  
Panis vivus, vitam præstans ho-  
mini!  
Præsta meæ menti de te vivere,  
Et te illi semper dulcè sapere.  
Pie pellicane Jesu Domine,  
Me immundum munda tuo san-  
guine:  
Cujus una stilla salvum facere  
Totum mundum quit ab omni  
scelere.  
Jesu, quem velatum nunc aspicio,  
Oro fiat illud, quod tam sitio,  
Ut te revelata cernens facie,  
Visu sim beatus tuæ gloriæ.  
Amen.